QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primâ Aprilis.

M. CLAUDIO GUERIN, Doctore Medico, Præside.

Potestne Indiarum Opium sine corporis Animique noxa Venerem accendere?

I.

CUNCTA licet sua officia singulari quodam cum sensu voluptatis exercenda omnibus animantibus Natura curaverit, assiduique operis cujuscunque impositam legem, laborem & tædium gentilibus pellecebris suavissimè temperaverit: uni tamen præ cæteris homini studiosius adblandita nullo non illarum voluptatum genere lenocinata est, quas si ejus consilia observes φυσικὰς ϗ ἀναγκαίας cum Epicuro meritò dixeris; si à divina illa hominis parte secretas & pro municipali jure ipsi dividendas cum brutis, belluinum bonum satiùs æstimaveris. Verum pessimo factum est rerum suarum fato: ut vim illarum & impetum majorem persentisceret, sive quia sortitò veniat & pro privata constitutione partium tenerior, utpote ὁ μέτρον ἁπάντων inque istas delicias sensuum omnium, quos voluptatum sequestros appellare decet, potioribus instrumentis Natura maximè comparatus, sive quod data opera & ex destinato ita finxerit quò illum interpretamento mentis plenum æthereæ originis fiducia, atque inter cætera animantia sui juris unum necessariæ voluptatis vinctum arctiùs compedibus tanquam δοῦλον ὑπερμόνιον suæ hac in statione conditionis admoneret, secus ἄνοδον meditantem, nihilque de suo contubernali justis diariis & pensis Naturæ communis præ uno philosophandi studio sollicitum; hinc ipse dum hisce in vinculis tot casuum incursus inter caduci hujus rimosique hospitii injurias partis sequioris usu & contubernio delinitus sustinet, sincera in brutis jura Naturæ, rerum dominæ mentis injusto ambitu, injustiore tyrannide violavit. Illa siquidem partim indulgenter, cum labore partim pleraque molitur ut in conquirendo victu, procreandis educandisque fœtibus perfacilè appareat aliud quiddam propositum iis esse præter voluptatem, quam is non receptam modò, sed pseudothyro intromissam per summam injuriam Naturæ præfecit, hanc ubique requirit absentem, fugitivam proquiritatur, languentem excitat, meditata arte eruditam adornare votis omnibus laborat, quasi haud facerent Naturæ munera fastidioso operæ pretium, doctis nisi condita voluptatibus, quibus ad sacra hujus opertanea ceu conductis conquisitoribus &

præfiſcinis deducendus foret, ex quo brutis Natura, Ars homini naſcendi eſt, neque illa omnium horarum ἢ φιλόσχολες ἡ τέχνη, delicatis adeò natalibus & frivola ſuperbiſſimi animalium origine, lucernarum extinctu nonnunquam corrumpenda, tantula moleſtia tanti operis rudimenta perire eſt.

I I.

QUAMOBREM ſapientiſſimi legum rerumque publicarum Conditores nihil habuere antiquiùs quam ut quò ſecuriùs feliciùſque naſci homini liceret, legum authoritate & vindiciis tota legitimæ veneris λειτουργία regeretur, quemadmodum enim bonæ frugis futura ſemina diligens quiſque agricola ſeligit, quæ data ſementis tempeſtivitate certa ſpe terræ concredita fæneret; ſimiliter planè illi in ſcribendo propitiæ veneris milite, rogatis Medicinæ ſuffragiis, lectum ætatis haberi voluerunt, rejiculis ἀώροις tyronibus, & quod aliàs inter caſtra alienum videretur, ipſis veteranis. Quin etiam fecere illi ſterilitatis odium, pretium fœcunditatis, illam perpetuæ infamiæ addixerunt, hanc propoſitis authoramentis auxere, conceſſâ ſcilicet iis candidatis qui jus liberorum haberent prærogativâ numerum vacatione judicandi, tutelæ excuſatione; ſuæ etiam illis νεμέσεις ἢ προεδρίαι aſſignatæ in theatris; ſi poſthumum mulier, cæſonem genitor, vel uteruis puberem aluiſſet ſolidi invicem capacitatem hoc ipſo conſequebantur juſque adeundæ communium liberorum hæreditatis. Inde pro eorum nnmero jura crevere, quæ ſoli ſibi vindicarent qui tres pluresve liberos ſuſcepiſſent, quibus alendis ſi de ſuo non ſuppeteret, legè Agraria Julia providit Cæſar. Quod ſi tres uno partu mares effudiſſet uterus felicior, his annona de publico in puberes uſque annos decreta, ita perennante in cæteris tergeminorum Horatiorum hoſtimento. Sicque deinceps tot immunitatum amplitudine exercita vota fœcunditatis in ſegnem orbamque Naturam exarſere ut ad eam procurandam imploratæ θεῶν χεῖρες medicæque artis deſideratâ induſtriâ, quæ laboranti veneri per quàm officioſè obſtetricaretur. Verum bene eſt quod peregrina hæc Februa tùm arceſſendæ ſterilitati, tùm alendæ veſtæ thori genialis illorumque urgendæ ignaviæ & curando proſedamo adhibeas, qui gallica hyeme frigidiores funeratâ illâ parte corporis quâ olim Achilles erant, puerperæ matronæ nedum horaiæ virgini ſuâ mala poſſunt divendere. Sed hos terminos tranſiliiſſe tùm animo, tùm corpori nocet, ut pote nullius alterius ſubſtantiæ evacuatio ipsâ profuſi ſeminis ἀμετρίᾳ utrique infenſior.

I I I.

ISTIUS proinde tenetur injuriæ in mentem & corpus, qui iratum ſibi cupidinem Opio conciliare tentaverit. Eſt enim Opium ſive Amfiam ex eorum relatu, qui Indiæ littora frequentarunt, ſuccus è papavere extractus, cujus cum ſint notiſſima apud veteres utriuſque ſativi & ſylveſtris, albi & nigri divortia; Quidam ex nigro ſolùm papavere Opium affirmant, Alii ſolius albi ejuſmodi lacrymam eſſe profitentur, eoque proinde totos Paphlagoniæ, Cappadociæ & Cyberiæ agros conſitos obſervaſſe. Quin ſi Indicum requiras? legitur in Cambaia è papavere albo, quod Caxcax vernaculè dicunt, vegrandi & oblongo capite, nigrum vero papaver tota Cambaia non inveneris; eoque utuntur inquit Lintſchotanus ut acceſſito ſtupore & veterno gravem curis ærumniſque mentem velut conditivo in diem ſepeliant & componant, ſimili delinimento

percurandam quale Helena Ulyſſi miſcuit & propinavit. Quamvis autem Opii vim ut colorem cæteraque id genus loci genium, indoles, aut mixtura & adulterium Aromatariorum augere aut imminuere queat, & quod Caïro advehitur candidum ſit, ex Adem & nigro mari ſubnigrum, duriuſculumque, à Cambaia, Mandor & Chitor mollius multoque friabilius colore flaveſcat aut purpuraſcat, Naturam tamen haudquaquam exuet, verum fideli ſemper documento pro peculiari & privato unius mixtionis modo ſtabit ἡ γὰρ δύναμις ἀπαυστῶν ψυκτικὴ maligna & Narcotica non abſque inſigni calore, cujus argumenta concreto ejuſmodi ſucco non deſunt, qui πικρὸς ἐν τῇ γεύσει omnibus ſapit. Quid enim vetat in mixto quod frigidi videatur temperamenti dari partes calidas? quarum guſtus frigidarum ſaporem ſuperet, cum plena lacte mulctra nullo coloris aut temperiei ſenſibili damno modico felle amareſcere ſentiamus. Hinc Opio uri fauces, fervere labra, ſudorem provocari cecinit Nicander. An non clancularii caloris ſatis luculentus index pruritus is bene alioqui conſcius futurus eſt titillatus veneris, qui epoto meconio plerumque tantus, ut alto ſopore ſepultos excitet? Quidni ergo proinde Opii ſucco quàm libidinoſis erucis incitatior qui veneris pharetris macer eſt, nec lampade fervet, elumbis & eviratæ virtutis damna denuò poterit inſtaurare, ac in Venerium Duellum tormento tenſiorem armare mentulam, fractam priùs ignava tentigine milleque rugis in viſcera fugientem?

I V.

ET ſanè Venerem incendere ac inflammare ſolet tùm ubertas maximè benè temperatæ & laboratæ materiæ ſeminalis in hircoſa & toroſa pube gratuito facilique orgaſmo laſcivientis nullis artibus exorando in denotatis & defixis, tùm geniali ictu ſeminis placiturus fervor, multoque ſpiritu flatulento fidelis & conſtans rigor genitalium, quæ ſi deſint, vacivo virium defecta tentigine, animaque feſſula ſecundum nihil ſecundo prius ſuccedet impetu, quàm gladiatoriæ Veneris inteſtina vulnera ſalubri ἀποθεραπείᾳ commodùm recuret, alterque in amoribus Fabius illius paupertinæ cunctando reſtituat Rem. Ac inprimis luxuriem ſeminum, quæ tota plenioris alimenti debetur reliquiis, huic muneri facere ſatis produnt tarda ideò Veneris manupretia, naturæque lege ultima tempeſtivitas juſtæ libidinis, vacatio cæteris maturior, indeque ſub ventre poſita clauſtra Veneris, illiuſve quaſi appendices & focanei palmites genitales partes virorum, ipſo ſitu inferiorem hunc ſuum fundum eſſe alterius domini clientelæ vindicandum ampliùs ſignificant, proindeque meritò famem amoris pharmacum dicebat Crates ille Thebanus. Jam verò robuſtæ libidinis nervos una naturalium operum integritas alit, unde fruſtra eſt qui hujus ingratiis præter ætatem Venerem ſalutaverit. Quare ſi quid ſecus irritaſſit pharmacis, ludicra ſubventaneæ libidinis ſomnia, Satyrorum morbum, Equuleum Priapi, demum pro libidine libitinam lento φθίσεως ποταίας ſupplicio ſibi procuraverit, Cyprum ſine commeatu, vento licet ſecundante, haud quaquam petiturus. Sic ab Indis fertur Amfiam gratia libidinis non accendendæ ſed tardandæ devoratum, quod privata dote virile ſemen cohibeat, cujus artificioſa mora Indicis fœminis ampliata muliebris patientiæ lege ſic lenta voluptate diutiùs libidinari datum eſt, iſtoque auctario contra ipſam Naturam Venerem liceri. Quaſi verò paſſis contentiſque velis incitatam obviamque avidæ mulieris ſalacitatem, ne dum plena ut alterius

Juliæ nave, ulla remora potis ſit morari. Tumque certis pharmacis medio in impetu homini ſtrigare ſit permiſſum, ſiccine putat arbitrio regi ζῶον iſtud ἐπιθυμητικὸν tum pleno Uteri furentis æſtu, cujus ratione videtur Aretæo σπλάγχνον ἄσχετα ζωῶδες. Quis igitur ita modum poſuerit ardens rigidæ tentigine vulvæ? Quæ ſtatorem diu cupitum gnavumque in procinctu Veneris λαισποδίαν feriato amore, qui ſagittas vexerit, repudiaverit mulier? difficile eſt & laborioſum in tentigine tam diu morari. Alieno uti arbitrio neſcit Venus, quæ caret ſuo, Res ſuas ſine arbitris curat, teſtibus modò præſentibus.

V.

VERUM neque qui uſi ſunt Amfiam facibus cupidinis uri ſe ſunt experti, ſed fauces & vitalia excandeſcere, turbulentis inſomniis vexari dormitantem, temeti inſtar cerebrum commoveri & tentari. Non itaque ſic in Venerem proniores redduntur Indi, ut ſtultè quidam credunt, quoniam Opium non modo Venerem non ſtimulat, ſed potius ejus ſtimulos infringit ſua frigiditate & vaſorum ſpermaticorum conſtrictione. Hinc nonnulli hujus eſu æterno maleficio ſopitis genitalibus ſterileſcunt, qui ſæpius vel immoderatius Opium ingeſſerint, expugnata domeſtico hocce Veneno virilitate, nimis quam flaccido libidinantium faſcino molles in Venerem fieri ceu lorum in aqua non inguina circunferrent, ideoque ab eo Magnates & Regulos ſibi temperare aiunt, aut rarius parciuſque ſumere. Sive itaque Indorum Opium incendere Venerem ſit compertum, ſive hujus principi facultati Narcoticæ id Negatum, peſſimus corpori animique rebus illius uſus ſemper eſt futurus, quemadmodnm enim in certam ἄναισι uberiore ſeminio feſtinant plantæ, ſic quod eſt ἰσχυρότατον τῶ ἰκμαλέον genuinum Naturæ & vitæ fundum talibus perditiſſimæ libidinis intemperiis decoquunt, quibus illi ocyùs fato antevertunt canos, qui in extrema naturalium actionum paupertate indemnatum ſpiritum ſic præcipitant & excutiunt vieto & ἀλίβαντι ἐμβόλῳ mortuæ ſuæ Veneri ceu funebri face & tæda parentaturi. Quid itaque Opii uſu artificioſaque rogatione præmaturæ crudæque libidinis compendium ſtudent extorquere? Suam habent iſta Naturæ opera comperendinationem, cujus interceſſioni obſequuntur bruta, unus ſuo vitio homo victus etiam non cedit; ſic quippe abdicare ſe imperio corporis principumque functionum adminiſtratione animum operæ pretium eſt, exauthorato ſatellitio ſpirituum, exarmata vitalium ſtatione, naturaliumque operum factione deſertâ.

Non ergo Indiarum Opium poteſt ſine corporis animique noxa Venerem accendere.

Proponebat Pariſiis PHILIPPUS DOUTE', Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis, & Facultatis Medicinæ Typographum.